

Item: *Estne justum censum dare Cæsari, an injustum? Matth. 22. v. 17.* Si negâisset Christus simpliciter, incidisset in offensio- nem Cæsaris, & reus fuisset læsæ Majesta- tis Cæsareæ: sin Cæsari dixisset dandum es- se censum, non Deo, denegâisset templo sacram exactionem, atq; ita sacrilegus fuisset. Ergò distinctè respondet: *date DEO, quæ sunt DEI, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris,* q. d. & Deo est dandus census, & Cæsari: DEO, quia lex jubet: Cæsari, quia jus bel- li jubet, quo subacti estis in Cæsaris po- testatem.

Sic si quærat: *placentne bona opera & salutem æternam merentur?* Si affirmabis, interrogans reget: *E. bona opera salutem æternam merentur.* Sin verò negabis, di- cet: *E. bona opera non placent Deo.* Respon- dendum itaq;: *bona opera placent Deo, sed non merentur salutem æternam, nisi ex verâ fide sequantur, quam habemus imputan- do nobis meritum Christi.*

Item si quærat: *desiistine furari?* sive neges, sive affirmes, tragulam injicit tibi *δριμύτης.* Nam affirmanti interrogans di- cet: